



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

III. Faceta Narratio de Quodam qui nullibi repertis eiusdem religionis  
socijs, ad Catholicam Ecclesiam redijt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

Lutherum & Bucerum Anno M. D. XXXVII. multis p[ro]p[ri]is & doctis hominibus presentibus, VVireberga factam. Hæc vero ambigua responsio è Melanchthonis tripodè profecta, per eisdem postea amplius declarata, & realis corporis Christi præsentia approbata fuit, ut è scriptis Apologiæ de Cœna insertis videre licet: ad quæ tamen Sacramentarii nequaquam muti fuerunt. In omnibus his nullum de antiquis Conciliis verbum, nulla SS. Patrum, qui fideles Christiana Fidei custodes fuerunt, mentio.

III. Cadmæa hæc progenies, vix terra è draconis dentibus exorta, statim versis in mutuam perniciem armis, ita invicem sese invaserunt, ut nullus conviciorum quibus alter alterum in cessabat, modus, nullus ditatum quibus una secta aliam devotebat, fuerit finis: ut scripta ab his atque illis edita testantur. *Qua in re non veritatis studium, sed sua cuique ambitio dux eras.* Et sane mos est hæreticis, ut S. Gregorius inquit, *in disputando suam gloriam cum Veritatis iactura ambire.* Nihil minus illi quam Veritatem quærunt: sed hæreticos vino ebrii, quid faciant, aut quam viam ingrediantur, nesciunt, hinc inde tamquam in tenebris oberrantes, & jam ad hanc jam ad illam partem deflectentes. Talis fuit ille Melanchthonis discipulus, quem Staphylus narrat omnes sectarum portas pulsasse, & apud omnium religionum, quæ in Septemtrionalibus vigent regionibus, socios Ministerii munus quæsisse, sed post editam Fidei confessionem æque ab omnibus repudiaturus. Nam è Saxonia ab Illyrico, è Prussia ab Osandro ejectum; in Polonia ab Antitrinitariis & Deistis, aliisque novis Evangelicis, quorum secta ibi prævalebat, locum ei denegatum; in Bohemia ab Hussitis & Picardis, in Silesia à Schænckfeldianis, in Moravia ab Anabaptistis suas sibi res habere jussum. Post longam disputationem, miserum hominem qui nullis aliis armis quam S. Scripturæ textibus & Lutheri ac Melanchthonis auctoritate suam religionem defendere; nec tamen qui pro Christiana & Evangelica agnosceret eam vellent reperire; tandem Viennam delatum, & tam de aliis suis miseriis quam de tam longa & laboriosa peregrinatione apud viros quosdam eruditos Catholicos conquestum: se nimirum omnes fere regiones obiisse, ut gentem aliquam seu nationem inveniret quæ in omnibus Lutheri & Melanchthonis doctrinam sequeretur; sed unum tantum Prædicantem reperisse, qui suggestum

conscendendi, & eandem Veritatem secum prædicandi potestatem ipsi facere voluerit. Idem deinde melius instructus, relicta hæresi ad Catholicam Ecclesiam fuit reversus.

IV. Principes Augustanam sequentes Confessionem, frustratentata inter Superindentes & Pastores suos concordia, Naumburgi in Thuringia Anno 1561. conventum habuerunt, [a] ad quem Papa Pius IV. Nuncium suum misit, exhortans ut Concilii decreta de religione expectarent, quod Imperator, Galliarum Rex, & alii Principes Christiani magno tum studio iterum flagitabant. Sed non plus hic conventus momenti ad consensum attulit, quam reliqui fere omnes. Quotiescumque enim de religione instituta fuerat disputatio, primo statim congressu quando de Judice agebatur, factaque illis optio, ut doctrinam suam ei quæ primis quinque sæculis viguisset, quamque puram & incorruptam fuisse ipsi fatebantur, conformem esse demonstrarent, Conciliorum proferebatur in Scriptura interpretanda auctoritas. Nos, ajebant, *quatuor illa prima Concilia, Nivenum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonium admittimus, quatenus tamen S. Scriptura sunt conformia.* Sed hic velim mihi dicant suaviludii isti, ad quid opus sit quatuor illorum Conciliorum ab aliis distinctione, si cautio hæc addatur, ut S. Scripturæ sint conformia? O ineptam ac turpem non tam elusionem quam illusionem! Idem enim de Porphyrii & aliorum scriptis, ac de Alcorano quoque dici possit, quatenus scilicet S. Scripturæ sunt conformia cujus testimoniis tam Mahumetes quam plerique alii utuntur. *Sicut sepius, inquit Gregorius Nazianzenus in oratione ad cl. Episcopos, ubi in rete incidisse se animadvertit, effuso atramento, quod pro sanguine ei est, aquam infuscat, sicque evadit: ita & hæretici semper posticum aliquod reperiunt, per quod se subducant;* nullum vero commodius quam quod Conciliorum decreta & SS. Patrum judicia libere, quando & ubi lubet, aspernantur; S. Scripturæ, id est, interpretationi in ipsorum cerebro natæ, dissentanea esse causantes. Hoc vero modo nullus nunquam controversiarum erit finis, ut libro VIII. clarius ostendam.

Dum itaq; Lutherani Molles cum Rigidis, & utriusque cum Zvinglianis de concordia nequidquam tractat [b] Calvinistæ, vasti & versipelles homines,

Genevæ

[a] Anatomia Eccl. Cathol. pag. 109. [b] Vlen. in vita Luth. Melanch. Flacii, &c.